UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XC. perueniens vsque ad DCC.XIV. nempe à Gregorio Magno Romano Pontifice, vsque ad Gregorium secundum

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annvs 707. Ioannis Pap. VIII. Annus 3. Ivst. Rhin. Iter. Imp. Annus 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15007

Visual Library

morti in ara crucis viuificaret. Itaque per tres continuas hebdomadas eos docens & in fide confirmans, baptizauit ex eis ſolummodo quadraginta duos, exceptis paruulis vtriuſq; ſexus & mulieribus.

XV. Boructuarii ad fidem conuerſi.

Et licet Boructuarij eſſent gens barbara, fana & inculta, & plures Deos adorarent, prophanis & ſacrilegis ſacrificiis reſponſa à dæmonibus exquirentes, auguriis & diuinationibus ſeruientes: tamen ſanctus Suitbertus, condolens ipſorum miſeriæ, ſedula prædicatione, crebris deuotionibus, & mirabili ſanctitate, Deo auxiliante, eos ad agnitionem veri perduxit luminis: ita vt relictis idolorum ſordibus in Chriſtum credentes, fana, in quibus idola antea adorare conſueuerant, propriis manibus deſtruentes: Eccleſias conſtruerent, in quibus Presbyteros & Diaconos ſibi in adiutorium per diuerſa Eccleſiarum loca ordinauit. Qui poſtquam præfatum errorem in magna parte, diuina præcedente gratia, miraculis & ſermonibus extirpaſſet, frequentabatur à populis circumquaq; poſitis, cateruatim ad eum confluentib. qui eximia conuerſationis & miraculi præfati fama excitati, videre & audire eum ſitiebant. Quibus libera voce documenta inſinuans Euangelica, multos ex eis conuertit, quos ſacro baptiſmatis fonte abluit & purgauit: ſicq; per biennium inter eos moratus, vita meritis & virtutum clarens exemplis, omnib. amabilis & venerabilis factus eſt. Fraterno denique amore plenus, cunctis ad ſalutem prodeſſe ſatagebat. Ipſe vero, vt omnibus omnia fieret, cunctos egenos in neceſſitatib. & infirmitatibus ipſorum viſitauit, non ſolum Chriſtianos, quos in fide viſitando & exhortando confirmauit, ſed & feroces Paganos errore idololatriæ irretitos, vt eos à vano cultu dæmonum ereptos, ad fidem perduceret Chriſti. hæc ibi de iis, quæ præſenti & ſequenti anno ſunt facta: adiicit auctor alia miracula hoc eodem tempore ab eodem Chriſti Apoſtolo diuinitus edita, ex quibus maior facta fuit ad fidem acceſſio. Sed quas idem ſanctus (vt comminatus fuerat dæmon) paſſus ſit poſtea inſidias, ſuo loco dicturi ſumus.

De Orientalibus rebus illud hoc anno ſecundo Iuſtiniani Annales produnt, Sarracenos Damaſci abſtuliſſe à Chriſtianis primariam Eccleſiam, excitatos æmulatione ob eminentem pulchritudinem templi. hæc ex Theophane. Putamus hanc illam fuiſſe ſancti Ioannis Baptiſtæ Eccleſiam, cuius meminit Beda, vbi in epitome de locis ſanctis de Damaſco agit.

IESV CHRISTI
ANNVS 706.

IOANNIS PAP. VII. Annus 2. — IVST. RHIN. ITER. IMP. Annus 3.

I. SEQVITVR Chriſti annus ſeptingenteſimus ſextus Indictione quarta, quo nihil præterea Annales reddunt, niſi (quod ad res ſpectat Orientales) non ſine magna ingratitudinis nota Iuſtinianum Imperatorem, qui armis Bulgaricis fuerat in Imperium reſtitutus, pactam pacem cum Trebellio ipſorum Rege frangentem, aduerſus eum duxiſſe exercitum, ſed dignas tuliſſe pœnas, vtpote qui poſteriores in bello ferens, fuga elapſus, vix Conſtantinopolim cum paucis redire valuit. Habent iſta latius enarrata Græcorum Annales. a

a Theoph. & Cedren.

Hoc eodem anno ſeptingenteſimo ſexto conſignanter res geſtæ ſancti Guthlaci anachoretæ in Anglia ab iis, qui eius vitam ſcriptis ſunt proſecuti. Vixit hic in horrida inſula ſolitarius, multiſque virtutibus illuſtratus, Prophetiæ dono imbutus, & miraculorum gratia inſignis extitit. Habentur ex parte res præclare ab eo geſtæ b, quas tu conſulas.

b Apud Sur. die 11. Apr. Tom. 2.

* * *

IESV CHRISTI
ANNVS 707.

IOANNIS PAP. VIII. Annus 3. — IVST. RHIN. ITER. IMP. Annus 4.

SEPTINGENTESIMVS ſeptimus Redemptoris annus Indictione quinta inchoatur, quo decimoquinto Kalendas Nouembris Ioannes Papa, vbi ſediſſet annos duos, menſes ſeptem, dies decem & ſeptem, moritur. de quo iſta Anaſtaſius: *Hic fecit oratorium ſanctæ Dei genitricis intra Eccleſiam beati Petri Apoſtoli, cuius parietes muſiuo depinxit: illicq; auri & argenti quantitatem multam expendit, & venerabilium Patrum dextra læuaq; vultus erexit. Hic reſtaurauit baſilicam S. Eugeniæ, quæ longo tempore detecta atque diruta fuerat. Laborauit autem & in cœmeteriis beatorum martyrum Marcelliani & Marci, Damaſiq; S. Pontificis. fecit vero & imagines per diuerſas Eccleſias, quas quicunq; noſſe deſiderat, in eis vultum ipſius depictum reperiet.* I. IOANNIS VII. PAPÆ OBITVS.

Baſilicam itaque ſanctæ DEI genitricis, quæ antiqua vocatur, pictura decorauit, illicq; ambonem nouiter fecit, & ſuper eandem Eccleſiam, quantum ad ſe, Epiſcopium conſtituere maluit, illicq; Pontificatus ſui tempus expleuit. Puto baſilicam hanc Dei genetricis, quæ vocabatur antiqua, fuiſſe Eccleſiam ſanctæ Mariæ trans Tiberim poſitam, à Calixto Papa erectam qua antiquior nulla, illicque ſibi Ioannem habitationem delegiſſe. Sed pergit Anaſtaſius: *Hic fecit aureum calicem præcipuum penſantem libras viginti, quem & gemmis pretioſis decorauit.* & in fine: *Hic fecit Epiſcopos per diuerſa loca numero decem & octo. Qui etiam ſepultus eſt ad B. Petrum Apoſtolum ante altare oratorij S. DEI genitricis, quod ipſe conſtruxit, ſub die decimoquinto Kalendas Nouembris, Indictione ſexta, Iuſtiniano Romanorum Rempublicam gubernante. Et ceſſauit Epiſcopatus eius menſibus tribus.* Sicque decimoquinto Kalendas Februarij creatus eſt Siſinnius, de quo mox dicturi ſumus anno ſequenti. II. BASILICA ANTIQVA DEI GENETRICIS.

IESV CHRISTI
ANNVS 708.

SISINNIVS PAP. CONSTANT. PAP. — IVST. RHIN. ITER. IMP. Annus 5.

EXORDIO anni Redemptoris ſeptingenteſimi octaui, ſexta Indictione, decimoquinto Kalendas Februarij (vt diximus) creatur Papa Siſinnius, natione Syrus, qui (inquit Anaſtaſius) *podagrico humore ita tenebatur conſtrictus, vt ſibi cibum propriis manibus exhibere non valeret: erat tamen conſtans animo, & curam gerens * pro habitatoribus huius ciuitatis: qui & calcarias pro reſtauratione murorum iuſſit decoquere, vixitq; in Pontificatu dies duntaxat viginti, ſicq; ſeptima die Februarij moritur, morte repentina: qui fecit in inſula Corſica Epiſcopum vnum, ſepultuſq; eſt ad B. Petrum dicta die & Indictione ſexta: ceſſauitq; Epiſcopatus eius menſem vnum, ſeu dies viginti nouem.* Poſtea vero die ſeptima Martij creatur Pontifex Conſtantinus natione Syrus, vir (inquit idem Anaſtaſius) valde mitiſſimus. I. SISINNII PAP. CREATIO ET OBITVS. * agens. CONSTAN. PAPA.

Huius Pontificatus exordio contigit creari Rauennatem Archiepiſcopum Felicem Romamque ſe conferre ex more, vt conſecrationem acciperet ab ipſo Pontifice, profeſſione fidei edita & obedientiæ ſponſione, licet inuitus, cogentibus magiſtratibus. ſed rediens Rauennam, pœnitens facti, reſilijt, Rauennatum inſtigatione permotus, ſeque ſchiſmate ab Apoſtolica ſede diuiſit: cuius rei cauſa animum etiam Iuſtiniani Imperatoris maxime II.